

CANCELL\*  
MARTIS B\*\*  
1718\*




V. L. c. 76. 65


28. April 15


~~Handwritten scribbles in red and black ink, possibly a signature or crossed-out text.~~


XXVIII J. a











- I. Tentel de Probationibus et diversis probandis
- II. Michmanckhausen de Perjurio judiciali.
- III. Womer de juramento hereditum.
- IV. Amfel undt Fortir nullis testis.
- V. Bolini de licito usq. et gravissimo ab ista juramentis
- VI. Woffler d. Probati qd. fit p. test.
- VII. Stryk d. Probati: qtra. iurata juramentis legale.
- VIII. Jch. S. Stryk d. concejta juramentum.
- IX. S. Stryk de Probi. Sem. Et.
- X. S. Stryk d. morte vero iuris iurandi.
- XI. Schneider d. testimonio Principis.
- XII. Eusebri d. Testum. indifferet.
- XIII. d. Solo iuramento in rebus per se licitis.
- XIV. Lömer d. Collisi. Probat.
- XV. Ej. d. Collisi. Presump.
- XVI. Meier d. Test. Privilegi.
- XVII. Acca d. Probati p. testor. d. audi. d. alieno legum.
- XVIII. Mas. Küter d. teste Clerico.
- XIX. Beier d. Probantir voluntate tacita et dubia.
- XX. Dreher de Comparandi. iurans.
- XXI. Wächter d. Interrogatibus eorum usq.
- XXII. Willenberg d. iure credulitatis.
- XXIII. Schroeter d. te. quem minus idoneum habuitate.
- XXIV. Hilliger d. iure et modo testem renitentem leg. iur. g.
- XXV. Baur d. Perjurio occasione prescindiende.
- XXVI. J. S. Stryk d. castis juramentis sigyletibus respicientis.
- XXVII. Philippi de Demonstratione.

DISPUTATIO IN ARITHMETICIS  
PROBATIONIBUS  
PROBATIONIBUS  
PHILIPPO WILHELMO  
DE ERNSTO TENNELL  
PROFESSOR  
SUMMUS IN URIBUS  
ET PRINCIPALIS DOCTOR  
PUBLICUS ERUDITIONIS DIRECTOR  
IOHANNIS GEORGII CILTMANNI  
VITAE DOCTORIS  
EXPOSITIO





POSITIONES JURIDICAS INAUGURALES

DE

JURE ET MODIS TESTEM

RENITENTEM LEGITIME

COMPELLENDI,

EX

DECRETO

MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS,

PRO

GRADU DOCTORALI RITE

CAPESSENDO

DIE X. SEPTEMBR. ANNO M DCC XI.

PUBLICICE DEFENDENDAS SUSCIPIET

SIGISMUNDUS GOTTLIEB HILLIGER,

DRESD.

---

L I P S I Æ,

LITERIS JOH. SAM. FLEISCHERL



POSITIONES JURIDICAS INAUGURALES  
DE  
JURE ET MODIS TESTAM  
ENTUM LEGITIME  
COMPULSANDI  
ET  
DE CERTO  
MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS  
GRADI DOCTORALII RITE  
CAPESSENDO  
DIE 2 SEPTEMBER ANNO M DCCLXII  
ARTICE DEHNENDES SUGGERIT  
SIGISMUNDUS GOETLIB HILFGER  
DRESD  
L I S I E  
ALITERI JOH. SALE RECTOR





## SUMMARIA.

**I**ntroitus §. 1. Expositio rubri §. 2. Notarius non potest testes cogere. §. 3. Nec arbiter. §. 4. Bene tamen iudex. §. 5. Et certo modo iudex delegatus. §. 6. Regulam exhibet de teste cogendo. §. 7. Coguntur testes privilegiati, si veritas aliter haberi non potest. §. 8. Excipitur Confessionarius. §. 9. Distinguuntur tamen peccata futura & praterita §. 10. Advocatus etiam excipitur & qua ratione. §. 11. Jus naturale in cogendo teste evoluitur. §. 12. Jus feudale Saxonicum antiquum non cogebat testes. §. 13. Coactioni praemittitur monitio. §. 14. Qua ratione testes priscis temporibus cogebantur, explicatur. §. 15. Modus cogendi jure Romano. §. 16. Jure Pontificio §. 17. Jure Feudali. §. 18. Jure Camerali. §. 19. Locus obstans Rec. Imp. 1654. resolvitur. §. 20. Jure Saxonico decem floreni Rhenani sunt constituti. §. 21. Carcere coercetur testis §. 22. Testis advena carcere cogitur, cum limitatione. §. 23. Carnifici quandoque sstititur

*testis contumax* §. 24. *Circumstantia probe prius expendenda.* §. 25. *In teste renitente etiam tortura locum habet.* §. 26. *Mores quarundam regionum in cogendo teste recensentur.* §. 27. *Testes etiam adstringuntur ad iuramentum, quod testimonium praecedit.* §. 28. *Nec clericus a iuramento liberatur.* §. 29. *Respondetur ad Auth. Obs. Sed iudex C. d. Episc. & cleric.* §. 30. *Respondetur ad l. 7. C. d. Episc. & Cleric.* §. 31. *Remittitur aliquando iuramentum* §. 32. *Iudex an possit iuramentum remittere ex officio.* §. 33. *Menista an possit ad iurandum cogi?* §. 34. *an Anabaptista?* §. 35. *Coguntur testes regulariter oretenus testari.* §. 36.

*Conclusio.* §. 37.

---

DE JURE ET MODIS TESTEM

RENITENTEM LEGITIME COMPELLENDI.

---

**C**um nihil frequentius hodie soleat contingere, quam ut probationes instituantur per testes. *Introitus.* Dn. STRYCK. *Us. mod. Tit. de Test. pr.* eorumque malitia in declinando veritatis testimonio haud raro deprehendatur, operæ pretium omnino esse existimavi, de JURE ET MODIS TESTEM RENITENTEM LEGITIME COMPELLENDI, quo magis hujus rei sese exerit utilitas, pagellas quasdam conscribere. Quamvis enim non pauci fuerint, qui de testibus egregias meditationes ex affere exposuerunt luci, inter quos eminent post NICOLAUM EVERHARDUM PROSPER FARINACIUS, cujus de Testibus opus cura JOH. VIERREGII Osnabr. 1677. impressum in Fol. prostat, præterea ex XXVI autoribus, quorum primus NEPOS DE MONTE ALBANO collectum Volumen de *Testibus probandis vel reprobandis Col. Agr. 1575* excusum esse constat; neminem tamen reperire hæcenus potui, qui modos coercendi cogendiq; testem refractarium potiores vel in tractatu speciali, vel in disputatione ordine excusasset,

fisset, adeoque nihil amplius superesse videbatur, quam ut illud, quantum præsens a me exposcit institutum, ea, qua potest fieri, perspicuitate, Deo auxiliante proponerem.

*Expositio ruri-  
bri.*

II. Nolo autem moniti memor Excell. JCTi Dn. TITII *in art. cogit. c. 14. §. 13. 14.* diu hærare circa evolutiones Ætymologiæ, Homonymiæ &c. in primis, cum omnia hic vocabula obvia admodum sint & vulgaria, ac facile ex Lexicis Philologorum (quorum sat ampla prostat copia) cognosci possunt, sed potius in præsentiarum considerabo, quod per testem hoc loco, sicuti communiter describi solet, ejusmodo intelligam *personam habilem, quæ a competente Judice ad rei alicujus fidem faciendam vocatur, examinatur, & si opus erit, cogitur.* vid. Dn. SCHOEPF. *in Synops. D. Tit. d. Test. §. 1.* Renitens autem testis, qui & a quibusdam refractarius appellatur, hoc loco significatur ille, qui sine ulla a Jure approbata ratione testimonium vel dolose, vel ex inani quadam persuasione recusare conatur. Et cum in prima fronte Dissertationis adjecerim *Legitime compellendi*, media tam a jure scripto, quam consuetudine in-

introducenda, rationi tamen convenientia, subintelligo, & hæc potissimum hisce paragraphis, si prius, quinam compellant, & quos compellere liceat, paucis præmiserim, explicaturus sum.

III. Ergo cum par in parem non habeat *Notarius non imperium. arg. l. 81. D. d. jud. l. 3. C. d. Jurisd. potest cogere testes.* quod a legibus nostris saluberrime introductum, ne occasio fiat majoris tumultus. l. 176. pr. D. d. R. J. statim a jure testes coercendi excludo Notarium. Quamquam enim & huic certis in casibus testimonii recipiendi concessa sit potestas, illa tamen ad volentes solummodo est restricta. Neque nomen obstat, quod plerumque in Comitibus ab Imperatore Comitibus Palatinis concessis hisce verbis: **Zu Notarien, öffentlichen Schreibern und Richtern,** Notariis assignari solet: Vocabulum **Richtere** enim potius abusive & in sensu aliquo latiori positum censeo.

IV. Eodem ex fundamento quaestio de *nec arbitror.* arbitris ex compromisso dari solitis decidi potest. Testes enim si respicias, in arbitrium Partium ab initio statutum vix consentiunt. conf. c. 6. X. d. Arbitr. adeoque nec ex pacto obstrin-

stringuntur, neque, etiam si pacto arbitrari sub-  
 scripserint, citra eorum voluntatem adigi ad  
 veritatem dicendam poterunt, quoniam Jura  
 cogendi Judici ordinariam jurisdictionem ha-  
 benti attribuuntur, huic vero tanquam privato  
 nulla competit jurisdictione. *l. 3. C. d. jurisd. LAU-*  
*TERB. Tract. Synops. de Arbitr. Compromiss. § 34.*  
 Et quanquam in *l. 1. D. de Recept. qui arbitr.* ar-  
 bitria ad similitudinem judiciorum redacta esse  
 dicantur, exinde tamen similitudinem hanc  
 esse perpetuam neutiquam infertur, & per con-  
 sequens lex allegata assertioni prolata in nullo  
 contraria censenda.

*Bene tamen  
 Judex.*

V. Judex vero, sub quo ad ductum juris  
 Romani Praetorem quoque comprehendo *l. 3.  
 §. 9. D. d. Tab. exb.* merito sibi hanc potestatem  
 vindicat. *l. 22. D. d. Test. c. 1. X. Test. cog. vid.  
 Gloss. ad lib. 3. artic. 27. LandR.* Cum enim  
 judicans publicam dicendi juris habeat faculta-  
 tem, id ipsis insimul videtur concessum, sine  
 quo jurisdictione exitum habere non potest. *l. 2.  
 D. d. jurisd.* Controversia tamen hoc loco  
 utilitatis speciem quandam praese ferens diri-  
 mi debet, an scilicet uterque judex & mero &  
 mixto imperio gaudens testes queat compelle-  
 re?



re? In hac quaestione decidenda diligendi opus erit cautione. Judici bassam exercenti jurisdictionem carceri testem immorigerum non ultra tempus consuetudine receptum mancipare ejusdemque hoc modo coercere contumaciam licebit. vid. CARPZ. *Crim. qv. 109. n. 63.* judici vero alta gaudenti jurisdictione carcerem duriolem dictare & graviores coercendi modos usurpare permittendum est. Cui vero decem florenos in *Ord. Proc. Sax.* definitos, ultiores multiplicatasque multas adjudicabimus? Non existimamus nos erraturos, si utrique ex commemoratis iudicibus multas exigenti in causis ad se pertinentibus concedamus potestatem. Quantum quidem attinet ad iudicem criminalem, nullum supererit dubium, quippe qui ob connexitatem sui imperii testem irrequisito iudice inferiore citat & eum contumacem punit. *a. l. 2. Et f. D. d. Jurisd. c. 5. X. d. off. Et pot. jud. del. Magn. Dn. MENCKE, in D. p. 327. CARPZ. Prax. Crim. qv. 109. n. 82. seqq. conf. Ord. Proc. d. a. 1555. t. Was zu Ober-Nieder-oder Erb-Gerichte gehörig. §. Was aber*, verum, si praecipue mores Saxonicos respicias, ardua adhuc erit quaestio, an etiam bassa jurisdictione pollens

B  
multas

multas ob contumaciam irrogatas pro se retinere valeat? Scrupulum enim parit multa 10 Thalerorum, quam egredi apud Saxones Judex inferior non solet. CARPZ. *all. n. 63*, verum, cum multa testis renitentis non tam ad poenam, quam modum compellendi referatur, & Judex hoc loco non libero arbitrio suo multam determinet, sed lege jubente ejusdem autoritate multam in ea definitam exigat atque sic jurisdictionem suam defendat *l. f. D. d. Off. ej. cui mand. est jurisd. l. 1. D. Si quis jus dic. l. 4. D. de Interd. & releg. Conf. l. 2. D. de publ. jud. BRUNNEM. adl. 1. C. d. modo mult. ac denique multas fructus jurisdictionis civiles esse notum sit. CARPZ. *p. 4. c. 10. d. 9.* verius existimamus judicem inferiorem, superiori excluso, multas pro se tanquam jurisdictionis fructum retinere posse. Conf. *Vener. Abpatruus meus. HILLIGER. ad Donell. 17. c. 8. l. 99. & STRUV. Ex. 4. l. 2. Tit. I. §. 77.**

*Ex certo modo Judex delegatus.*

VI. Judicibus delegatis denique & Commissariis, in primis, si literæ Commissoriales servato juris ordine ipsos litem finire jusserint, aut expressa quoque testium examinandorum mentio in iis facta inveniatur, eandem fere cum judicibus ordinariis in renitentibus testibus compellen-

pellendis largior auctoritatem, neque juris hac in parte destitutor suffragio & rationibus. Concordat una nobiscum *c. 5. X. de Off. & potest. jud. deleg. Clem. Un. d. Off. del.* ubi ejusmodi delegati quoad receptionem testium iudices appellantur. Securius tamen actum videtur, si clausula de teste compellendo commissionibus inseratur, ne fortassis quando Commissionis Originale exhibetur, **wann die Commission eröffnet wird,** a partibus, nec non testibus illud vulgare: Commissiones esse stricti juris, opponatur. vid. Dn. STRICK *Diff. d. Facto iudicis de Fact. c. 5. §. 68.* Quanquam in quibusdam territoriis hujus exempli gratia in Tribunali Vismariensi, ibi enim recentitam potestatem ipso jure concessam esse dicit MEVIUS *p. 4. Dec. 314. BRUNNEM. ad l. 3. D. d. Test. §. 28.*

VII. Non autem sufficit cognovisse competentiam iudicis, sed illum imprimis, qui jurisdictioni testium cogendorum præest, nosse etiam oportet, quemnam ad testimonium ultro haud venientem trahere debeat, eamque ob causam horum evolutio maxime necessaria. Brevibus regulam constituo; omnem scil. cogendum, esse nisi ejus exemptionem & privilegi-

*Regulam exhibet de teste cogendo.*

um doceat, etiam si se juramento, nolle se dicere testimonium, obstrinxerit, cum ejusmodi jusjurandum tanquam temerarium, illicitum & contra bonos mores nullam obligationem, nec si fortassis absolutio a juramento omissa sit, inducat. *c. 58. d. R. J. in 6. NICOL. Proc. c. 57. n. 22.*

*Coguntur testes privilegiati, si veritas aliter haberi non potest.*

VIII. Passim hæc privilegia in compendiis juris allegant Doctores. Potiores in suo ordine exhibuit LAUTERB. *ipso suo C. J. p. 31. seq.* ad quem Lectorem honorandum, cum mihi principaliter hic de pœnis testium refractariorum agendum sit, delego, illud adhuc solummodo monens, communiter asserti *exc. f. X. d. Test. cog.* cessare dicta privilegia, si veritas aliter haberi non possit, illumque veritatis defectum ex eo communiter colligunt, non, si revera nulli testes intercesserunt, sed si vel propter facti qualitatem, vel temporis, vel loci circumstantias alii testes verisimiliter Actui intervenire non poterunt, ut in furto, adulterio, & maxime delictis, quæ clam sæpe numero fieri solent, aut alias difficilioris habentur probationis. LAUTERB. *Coll. Tb. Pr. §. 33. ad Tit. d. Test.* Notandum tamen, suppeditam limitationem, in quibusdam personis privilegiatis, quarum mentionem mox ad-

adjiciam, suas iterum habere exceptiones. <sup>Excipitur  
Confessiona-  
rius.</sup>

IX. Prodeat in exemplum Clericus confessionarius, etiamsi enim veritas aliter indagari nequeat, huic tamen secreta confessionis revelare sub pœna ab officio depositionis, ignominiae & perpetuae peregrinationis &c. interdictum est, ut apparet ex *c. Sacerdos 2. d. pœnit. dist. 6. c.* *Si Sacerdos 2. X. d. off. jud. ord. c. Dilectus 13. X. d. Exc. Pr. el. c. omnis 12. v. careat autem X. d. pœnit.* Simile Clerico silentium sub pœna injungit jus Saxonicum in *Ord. Eccl. Sax. d. 1580. art. gen. 7. §. ult. vers.* **Nachdem auch mehrmahls grosse Beschwernissen, nec non *Ord. Eccl. Magdeb. c. 5. §.* Was in der Reich- te denen Predigern.** Nituntur in primis hac ratione, peccantes Deo, non homini confiteri voluisse peccata sua. vid. *c. all. 2. X. d. Off. jud. Ord.* Sive itaque examineter Clericus de arcanis a confitente expositis, sine mendacio de sua ignorantia respondere permissum est in *c. 12. X. d. pœnit. & remiss.* sive ultro officii sui immemor, ea, quæ celare debuisset, manifestare conaretur, huic nisi ipsius delinquentis confessio accedat, nihil credendum erit, immo, in pœnam suæ procacitatis Sacerdotem ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum mona-

sterium detrudi mandavit *c. all. 12. X. d. pœnit.*  
*Conf. GAIL. l. 1. Obs. 100. n. 8. LUTH. in Coll. Germ.*  
*c. 44. Fol. 19. Tom. Jen.* quod procedere quoque  
 communiter dicunt in confessione Laico tem-  
 pore necessitatis facta, quoniam & iste ob extre-  
 mam necessitatem loco Sacerdotis haberi de-  
 beat *c. Sanctum 36. d. Consecr. dist. 4.*

*Distinguntur  
 tamen delicta  
 futura &  
 præterita.*

X. Distingui tamen communiter assolet, an  
 præterita, an vero futura delicta committenda  
 adhuc confiteantur peccatores coram confessi-  
 onario. Primo casu tacere necessum habere Cle-  
 ricum, neque ex eo ad testimonium admitti de-  
 bere ob rationes paulo ante prolatas, verum po-  
 steriori casu omni jure ad revelationem eorum,  
 quæ confessus est peccator, teneri autumant. De  
 qua tamen doctrina valde adhuc dubitari pot-  
 est, si imprimis ex principio memorato disputare  
 velim. Putassem videlicet, idem & hic quoque  
 obtinere fundamentum, quod scilicet in casu  
 anterioris paragraphi allatum fuit, confessiones  
 nempe soli Deo fieri, ac inde Confessionarios  
 nihil tanquam homines scire, adeoque in hisce  
 casibus Clericis ex confessione denunciantibus  
 nihil credendum, maximopere cum Deus alia  
 ratione committenda delicta palam facere  
 possit, commissurus autem delictum eo fine  
 propo-

propositum suum confessus sit, ut sibi, quo seo  
 facilius a scelere abstineat, per solatium confes-  
 sionarii confuleretur. Ille itaque, cui statum,  
 in quo versor, expono, cum nesciat, annon eo  
 momento, quo delinquentem futurum cona-  
 minis sui redarguit, simulq; bona vivendi media  
 suppeditat, ad saniozem mentem reducere pos-  
 sit, turpe omnino foret, illius consilia, quæ se-  
 creto sunt exposita, proditorum more pateface-  
 re. Alia videtur questio, annon Clericus omni-  
 bus viribus eo niti obstringatur, quo scilicet in-  
 directe avertat ejusmodi damnum futurum, cui  
 sententiæ non valde refragabor, eoque redit  
 MULLERI ad STRUV. sententia, delicti quidem  
 revelationem, sed absque nominis expressione  
 fieri posse existimantis. *exercit. 28. L. 22. Tit. V.*  
*§. 40. Lit. a.* Non movet assertum istud, quod  
 delicta nondum perpetrata nondum puniri  
 queant, adeoque vel ex hac sola ratione ad aver-  
 tenda majora mala Clericum esse obstrictum,  
 verum falsum hic subesse præsuppositum asse-  
 rem, cum & conatum multis in casibus puniri,  
 nec non interdum ipsis delictis quoad poenas in-  
 fligendas æquiparari videas, exemplum quære  
 in Crimine læsæ Majestatis *l. s. pr. C. ad L. Jul.*  
*Maj.* & sic nihil omnibus, dum per effatum Sa-  
 cerdo-

cerdotis confessionarii non satis confideratum raperetur ad supplicium, damnum irreparabile incurreret. Conferri meretur in hanc rem Dn. STRICK. *d. Cred. revel. c. 2. n. 51. seqq.* Coeterum machinationes Papales circa confessiones cum dolo conjunctas vid. apud Dn. TITUM in *Spec. jur. Eccl. p. 481. seqq.*

*Advocatus  
etiam excipi-  
tur & quarantione.*

XI. Referri huc potest quoque exempli causa Advocatus, miles ille togatus *l. 14. C. de Advoc. div. jud.* Sicuti enim hic expresse contra clientem testis esse prohibetur. *l. f. D. d. Test.* ita nec privilegium hoc cessare existimem, etiamsi veritatem aliter expiscari non liceat. Namque Cliens in hunc plenam fiduciam collocat, & salutis suae aliter consuli non posse arbitratur, nisi omnia causae viscera ipsi revelet, & exinde auxilium vulneris sui se esse impetrarum speret. Nihil itaque crudelius dicendum foret, quam si Advocatus tanquam proditor & praevaricator causae adigi debeat, quandoquidem & ipse ita agendo extra ordinem puniri posset *l. 1. in f. D. d. Praev. ar.* Neque hac in parte valde dissimilis Advocati cum confessionario suscipitur comparatio cum inprimis & hic juris nuncupetur Sacerdos *a. l. 1. §. 1. d. jur. & j.* Recensita eo certiora haberi debent, quo magis expressis  
juris



juris textibus adjuvor. Ita in *Rec. Imp.* & præcipue in *Ord. Cam. p. 1. Tit. 64.* jubentur Advocati sua sponte celare Clientum suorum secreta, sive iis aliquid concreditum, sive sua sponte in Actis arcanum aliquod animadverterint. Verba hujus sanctionis in eo consistunt: **Nuch Heimlichkeit und Behülffe von den Parthen erfahren, oder Unterrichtung der Sachen, daß sie von ihnen selbst mercken werden, ihrem Parthenen zu Schaden niemand offenbahren &c.** Unde etiam in quibusdam judiciis receptum esse comperio, Advocatos, ut & Procuratores in suis juramentis simul ad hanc clausulam jurare teneri, de qua re, sicuti quoque de Medico & Obstetrice in testimonium non trahendis, cum in primis ad ipsas pœnas ob chartæ angustias properare necessum sit, legi potest all. Dn. STRYCK. *d. c. n. 28. 47. & 48. seqq.*

XII. Antequam autem ad ipsos compellendi modos progredior, non incommode hic in genere quaeritur, an scilicet testes, maxime juxta naturale rationis dictamen cogi rectum omnino sit, nec ne? Eo magis ambabus manibus largiendum puto, quo magis ex ipso jure connato rationes mihi ultro repetere licebit.

C Scimus

*Jus naturale  
in cogendo re-  
se evoluitur.*

Scimus videlicet, justitiæ vim, omnem in eo consistere, ut suum cuique tribuatur, quem scopum contingere Magistratus non posset, si testes testimonium dicere recusantes cogere & addeponendum testimonium adigere non valeret. TREUTHER. *Disp. V. Th. 7. qv. 34.* immo veritatis revelationem maximopere ad socialitatem hominum conservandam conducere quis non videat? illa autem socialitas quomodo obtineri posset, si unusquisque pro suo arbitrio celare veritatem Reip. proficuum studeret, insuper innocentes, ejusmodi coactione seposita, ut plurimum causa sua caderent, e contra nocentes impuniti manerent, quod jura naturalia æquitati incumbencia omnibus modis averfentur, cum exinde inprimis ipsa respublica haud levem pteretur suæ autoritatis potestatisque imminutionem, & quilibet sibi met ipsi, dum aliquando ob defectum testium justissimam causam amitteret, Jus dicere anniteretur. Conf. Dn. TITUS *Obs. Laut. 733. p. m. 500.* Ac proinde merito quoque jus Civile, quoniam hoc præcepta naturæ sequitur. *l. 6. D. J. & J. & J.* sequi debet, in affirmativam, ut paulo post intelligemus, abit sententiam. Aliqua tamen ad huc inter Jus Romanum & Papale monenda erit discre-

discrepantia: illo videlicet tam in caula criminali quam civili ad perhibendum testimonium, si absque iusta causa renuant, cogi possunt *l. 16. C. d. Test.* hoc vero in criminali caula regulariter non coguntur. *c. 10. X. d. Test. cog.* quod quidam eo solummodo restringunt, quando veritas aliter haberi non possit *c. 5. X. eod.* aut quando ex testium depositione periculum subsit, ne inimicitiam alicujus potentis incurrant. FARINAC. *d. T. Tit. 8. qv. 78.* posteriori tamen sententiae ob interesse publicum ad stipulari nequeo, & prior a jure, quo hodie utimur, recedere videtur teste MAS QV. *d. prob. qv. 5. n. 47.*

XIII. Singulare quidem olim Jure Saxo-  
nico Feudali antiquo constitutum reperio, nul-  
los scilicet iudices eo tempore cogendorum te-  
stium potestatem habuisse, ubi hac de re verbis  
(aber nach Sächsischen Rechten zu Lehn-  
Recht, will dieser Gezwang allewege nicht  
statt haben. Denn so der angegebene Ge-  
zeuge nicht fürkommt, oder seine Aussage  
nicht thut, soll sich der Zeugenführer mit ei-  
nen andern Gezeugen versehen) antiquo ad-  
huc stylo conformibus disserit CHIL. KÖNIG  
*Pract. & Proc. c. 72. n. 2.* Sed hæc licentia testi-  
monii recusandi iis postea solummodo incul-  
ta

*Jus feudale  
Saxonicum  
antiquum  
non cogebat  
testes.*

fuit, qui nullum a Domino recognoscebant feudum, uti hoc pluribus apparet ex textu *Lehn R. c. 24.* donec tandem & anterior & limitata posterior consuetudo in defuetudinem abierunt, qua de re allegatus *KOENIGIUS* in verbis: *Aber daß hat der Sachse, als wohl in viel andern mehr nicht zufallen, denn wer kan allezeit einen andern Gezeugen haben, so doch einer allezeit ehe zehn Richter, denn einen Gezeugen überkommen mag, darum wird das Recht bey uns in Sächß. Lehn Recht in Gebrauch und Practica nicht gehalten, sondern der Titul. X. de Test. cogendis.* Darnach halte dich allhier zu *Sachsen.* nec non etiam *Glossa. ad LR. art. 21. l. 3.* hoc elegantia adhibito argumento: *Mag mich dann der Richter gezwungen, daß ich über mich selber Gezeuge, so mag er auch mich ohne Zweifel gezwungen, daß ich ein Gezeuge der Wahrheit über einen andern sey, non inconcinne testatur.* De jure Saxonico Electorali nullum de hac potestate dubium amplius residere potest propter *Leip. Ohgo. Corp. Jur. Sax. p. 133. Wittenb. hgo. p. 141. Et Ord. Pr. Sax. Tit. 22.*

*Premittitur  
monitio.*

XIV. Quod si itaque testes refractarii præ-  
via

via monitione, quæ omnino præmitti debet *c. r.*  
*§ 3. X. d. cog. test. l. 19. C. d. Test. LANCELL. Inst.*  
*Jur. Can. L. 3. Tit. 14.* depositionem modis  
 omnibus averfentur, judex tunc demum, qui  
 contemni se facile non patitur. *l. 19. D. d. Off.*  
*Præs.* per comminationes nec non reales pœnas  
 illos ad officium suum adigere potest. Cum  
 autem jura in imponendis pœnis maximopere  
 a se discrepent, utile futurum esse confido, si  
 confusiois vitanda gratia, quorumlibet jurium  
 singularia seorsim recensuero.

XV, Atque jam præscis temporibus pœ- *Qua ratione*  
 nam testibus testimonium respuentibus statu- *testes præscis*  
 tam fuisse apud Diodorum de Ægyptiis legi- *temporibus*  
 mus. Qui enim præsentibus fuerant, cum homici- *cogebantur,*  
 dium, aut aliud fortassis delictum esset commis- *explicatur.*  
 sum, si judicanti reum indicare recusassent, vir-  
 gis propterea cæcos ac tridui fame coercitos fu-  
 isse pluribus probatum reliquit. Neque a So-  
 lone Legislatore pœnam fuisse omisfam erga  
 contumacem reperiõ. Erat enim in legibus  
 Atticis ita cautum: τὸν ἐκκλητευθέντα, ἢ μαρτυρεῖν  
 ἢ ἐξουσιᾶσθαι ἢ χιλίας δραχμῶν ἀποτίσαι τῷ δημοσίῳ  
 quod in linguam Romanam Petitus ita translu-  
 rat; *In Jus vocatus testimonium vel dato, vel eju-*  
*rato, vel mille Drachmis multator.* SAM. PETI-

tus *Leg. Att. L. 4. Tit. VII.* immo convitiis proscindere testem ejusmodi præfractæ frontis licuisse, quam luculentissime constat ex XII Tabulis. Cui, inquit, *testimonium defuerit, is tertiis diebus oportum obvagalatum ito.* Paraphrasin vide apud HOFFM. in *Lex. Univ. sub voce Testis.* Libere insuper Atheniensibus eo tempore concessum erat, an actione, quæ dicebatur *λειτομαρτύριον* a deserto scilicet testimonio experiri vellent contra renitentem. WISSENB. *ad Tit. d. Test. n. 38.*

Modus cogendi jure Romano.

XVI. Jure Romano definitam adeo ac certam fuisse constitutam pœnam dici vix potest, ac dehinc arbitrio judicis determinanda merito relinquatur, *a. l. 1. §. 2. D. d. jur. delib.* MENOCH. *l. 2. d. A. F. Q. cent. 2. c. 280. n. 2. Sc. 4. c. 28. n. 32.* Negandum interim non est, luculenta extare legum argumenta, ex quibus omnino & captione pignorum eorumque distractione & alia multæ indictione testis fuisse punitos, colligendum. Evolvatur præprimis, *a. l. 1. §. 3. D. Ventre inspiciendo. l. 3. §. 9. D. d. Tab. exhib. l. 9. §. f. D. ad L. Jul. pecul.* LAUTERB. *Comp. Jur. p. m. 435.* immo testes per tormenta ad testimonium ferendum posse adstringi, haud incongrue ostendit *l. 1. §. 10. D. d. Qu. l. 18. §. 3. D. eod.*

*ead. Auth. apud Eloquentissimum. C. d. Fide Instrument. Nov. 90. c. 5.* pœnasque stellionatus testem minus comparentem Jure Civili afficiendum esse statuit ALTHUS. *Dicaol. l. 1. c. 104. n. 110.* Notabilis tamen in *l. 19. C. d. Test.* hac in parte occurrit limitatio. Testes enim ad examen venientes, & per quindecim postea dies in loco testimonii commorantes libere possunt iterum discedere, nec amplius compelli, si intra hoc temporis spatium judicis negligentia examen sit omissum, ipso deinde judice interesse refundente, quod parti ex mora hac puni- enda detractum fuerat. *FARIN. d. T. Tit. 8. qu. 78.*

XVII. Jure Pontificio e contra, sicuti veritatem velle occultare inter mortalia referebatur peccata *c. quis quis 78. Il. qv. 3. § c. 1. X. d. Test. cog.* ita districtione h. e. jurisdictione ecclesiastica coercerentur immorigeri. *vid. c. 9. d. Test. cog.* eumque in finem id *c. 2. X. d. Tit.* Clerici in primis cum Apostolico conspectui tanquam testes se nollent sistere, prima vice ab officio & beneficio ecclesiastico suspendi, ob ulteriorem vero contumaciam excommunicationis & depositionis sententiam vereri debebant. In Laicis quoque censuram ecclesiasticam obtinere certum est per *c. f. X. d. Test. cog.*

*Modus cogendi jure Pontificio.*

*Modus cogen-  
di Jure Feu-  
dali.*

XIIX. Quod ad Jus Feudale attinet Longobardorum, coguntur ibi primario testes Pares Curia, eo maxime tempore, si de investitura a Domino celebrata testari sit necessum, cumque in compellendo fortean contumace in praedictum sui Vasalli Dominus negligentiore se se praestiterit, dominio suo directo posse privari autumat glossa, ALVAROTTUS vero arbitrio judicis relinquere videtur. Conf. GODOF. *in Not. ad 2. F. 2. pr. L. e.* deficientibus vero paribus, extraneis quoque reluctanter deponendi necessitas sub poena procul dubio imponitur *arg. 2. Feud. 2. pr.* in verb. *Liceat Vasallo etiam.* Notabilis interea hac in parte apud Saxones juri communi assuetos occurrit discrepantia a jure Longobardorum, quippe nostro jure nullus extraneus, qualis est, qui nullum a Domino feudum recognoscit, neque citari, multo minus adigi ad rei alicujus veritatem revelandam poterat. *LehnR. c. 24.* Verum enim vero Vasallus testimonii dictionem a se devolvere nequibat, sed renitens post frequentia monita, jacturam feudi, quod a domino suo habebat, patiebatur, uti hac de re consuetudines Feudales Saxonicae sequentibus verbis: *Hat der Herr den be-  
nandten Gezeugen vorgeladen, als Recht  
ist,*



ist, und kombt er denn nicht vor, der Herr soll ihm darum nicht beklagen zurecht, und soll ihm zuletzt sein Guth vertheilen, daß er von ihm zu Lehen hat, luculenter testantur. LehnR. c. 24. Ulterius tamen renitentibus gravio- rem adjudicare poenam Dominis non erat permissum vid. LehnR. c. 24. ibi: sintemahls er ihn förder mit Lehn-Recht weiter nicht gezwungen möchte.

XIX. In Camera Imperiali præter monitiones & commonitiones antea emissas. WIRMS. Tit. 18. Obs. 7. n. 89. solent testes contumaces ante omnia in poenam pecuniariam condemnari, & si sint in eminentiori fortuna positi, denuo citatio ad videndum se declarari in memoratam poenam extrahitur, juncto mandato sub poena duarum Marcarum auri puri, quo rursus compareant & præstito jurejurando deponant. BLVM. Proc. Cam. Tit. 73. §. 23. Demum, cum & in hanc poenam frivole respuentes testimonium declarati sint, ad partis producentis instantiam mandata decernuntur sub poena Banni, ut scilicet intra terminum mandato insertum sese sistant, testimoniumque perhibeant, contra eos deinde in contumacia diutius perseverantes, prævia sententia declaratoria, ad poenam Banni

D

rea-

realiter proceditur. GAIL. L. 1. Obsf. 100. n. 12. j.  
RULAND. d. Commisf. Part. 2. lib. 2. c. 7. n. 6. sqq.

Locus obftans  
Rec. Imp. d. A.  
1654. refolvi-  
sur.

XX. Dubitat equidem MARTINI in Com-  
ment. ad Tit. 22. Ord. Pr. Sax. n. 24. an adhuc  
illa Banni declaratio locum hodie obtinere que-  
at, fuamque dubitandi anfam defumfit ex Nov.  
Recess. Imp. d. an. 1654. §. 36. Würde hier auff  
nun, &c. ubi verba: iedoch mit hinführiger  
Aufhebung der bißherigen gebräuchlichen  
zweyen Wegen entweder auff die Pœn der  
Ncht &c. extant. Verum respondeo, dictos  
Recessus in casu solummodo singulari, si scil. re-  
us prævia citatione in termino 60 dierum indi-  
cto non compareat, non autem generaliter ab-  
rogasse Bannum, adeoque, cum jus singulare  
non fit producendum ad consequentias & ab-  
rogationes stricti juris esse soleant, merito ad-  
huc in usu esse jura paulo ante recensita putarem  
arg. l. 27. C. d. Test. nisi & in specie hæc quoque  
mutata & singularis in contrarium consuetudo  
doceatur. j. RULAND. d. l.

Jure Saxoni-  
co 10 Floreni  
Rhenani sunt  
constituti.

XXI. Jure Saxonico, eoque in primis Ele-  
ctorali & moribus in testes prima vice contum-  
maciter absentes pœnam pecuniariam decem  
floreorum Rhenensium, inter judicem & pro-  
ducentem dividendorum, ordinatam esse repe-  
rimus

rimus. vid. *O. P. S. Tit. 22. L. D. H. G. D. Tit.*  
 durch was Pœn die Gezeugen. eamque pœ-  
 nam toties, quoties non apparent, duplicari,  
 commissæ executionem peti, ac, si opus est, ma-  
 gis magisque augeri solere, ex quotidiano judi-  
 ciorum usu declaratur, adeo, ut tantundem, re-  
 servata anterioris pœnæ quantitate, solvere  
 compelli soleant. *arg. Text. dict.* nec liberantur  
 a pœnæ recensitæ solutione, si postea demum ad  
 deponendum sese exhibeant, cum semel judici  
 inobedientes sese præstiterint, neque paupertatis  
 suæ calamitatem prætere valebunt, cum &  
 præsentī casu commune illud, qui non habet in  
 ære, luat in corpore. *l. f. D. d. in jus voc.* appli-  
 cari mereatur. Immo multæ adhuc locus re-  
 linquitur, quamvis deinde eorundem testimo-  
 nio opus non sit. EXCELL. DN. RIVINUS. *En.*  
 §. 3. *ad Tit. 22.*

XXII. Postea, si pœna pecuniaria suum *Carcere coër-*  
 non sortiatur effectum, ejusmodi renitentem *etur testis.*  
 carceri posse mancipari, quis est, qui non asse-  
 rat? Hanc tamen servandam esse distinctionem  
 censent, ut prius comminatio de incarcerando  
 præcedat, præcipue si honore dignus testimo-  
 nii gratia vocetur. *Conf. Resp. d. 16. Dec. 1685.*  
*apud DN. RIVINUM in En. §. 1. eoque potissi-*

num tempore hoc contumaciæ declinandæ remedium usurpari convenit, cum testem facili negotio discessurum, indeque testimonii copiam defuturam vel difficiliorem aliquando reddi metuimus. *MEV. d. Arrest. c. 6. §. 30. Et.*

*Testis advena* XXIII. Hinc merito hoc loco ad quæstionem de  
*carcere cogi-* feror, an scilicet testē advenam aut peregrinum,  
*tur, cum li-* si præfracte testimonium nobis deneget, carce-  
*mitatione.* re ad deponendum cogere liceat? Sicuti vero de  
vagabundo, quippe qui nullibi domi reperitur,  
& ubicunq; demum vivit, judicem habet ordi-  
narium, nullum superest dubium. *ECKOLT. ad D.*  
*p. 577.* ita quoq; de iis, qui certum habent domi-  
ciliū, degunt tamen in alterius territorio, asseren-  
dum videtur. Et si enim alias regulariter contrae-  
jusmodi testes, qui extra terminos jurisdictionis  
commorantur, nec citatio, multo minus multa  
ob contumaciam irrogatio locum sibi vindicet,  
sed eorum superior per literas mutui compassus  
implorandus sit ad examen & transmissionem  
rotuli procurandam. At, longe tamen aliter sese  
res habet, si in eo loco, ubi de re certa testandum,  
inveniatur, tunc enim si sponte nolit ad testifica-  
tiones accedere, juste tamdiu detinetur, donec  
re ipsa perhibeat, tum in primis, quia, quod ab  
eo exigitur, licitum est, & justum, ne veritas oc-  
culte-

cultetur. GAIL. *L. 1. Obs. 100. n. 1. § 2.* tum potissimum, quia iudex iuste utitur sua potestate, cui morem gerere omnes, & sic quoque Advena, tenentur, quamdiu in Provincia commorantur, tum quoque, quod nullum inferatur præjudicium arrestatorum Magistratui, quando quidem nihil jurisdictioni in aliena provincia detrahitur; tum, quoniam hoc eorum præcipue meretur malitia, qui illud subire nolunt, quod alteri prodest, ipsis vero non nocet. *L. 1. § 5. D. Aq. & Aq. pluv. arc.* ne peregre fortassis opus habeamus veritatis argumenta elicere. MEV. *d. arrest. c. 6. §. 30.* Limitat tamen hoc citatus auctor, quod nempe hæc aliter accipi non debeant, quam si arrestum eo tempore, quo testis in continenti veritatem dicere renueret, imponatur. Detinere enim aliquem per aliquot dies ad testificandum, injuriosum & nimis molestum fore, quia suo cum incommodo commorari cogeretur, non sine ratione putavit auctor. *l. c.*

XXIV. Cæterum, cum quandoque nec <sup>Carnifici</sup> arrestum contumacem ad sanio- <sup>quandoque</sup> rem mentem <sup>ssititur testis</sup> perducere valeat, stomacho plerumque lautio- <sup>contumax.</sup> res auferuntur cibi, & ut aqua & panis eidem in-  
posterum præbeatur, communiter pronunciar-  
i solet, quandoque hac addita severa commina-

tionē: Daß in fernerer Verweigerung seine richtige Antwort auff die Artikel wohl durch dem Scharfrichter aus ihn gebracht werden solle. Vid. Dn. SCHWENDENDOERFF. in Proc., Fib. p. m. 1444. & hinc, si diutius in contumacia perseveraret eaque legitime fuerit accusata, demum carnifici, sed absque reali apprehensione, sistitur, es wird mit Vorstellung des Scharfrichters verfahren, ac deniq; nihilominus in respondendo contumax, praestita prius Urpheda, dimittitur, nec ulterius detinetur secundum tradita SCHWEND. l. c.

*Circumstan-  
tia probe pri-  
us expenden-  
de.*

XXV. Circumstantiæ tamen ante omnia, & antequam ad tam rigidos compellendi modos deveniatur, hoc loco expendendæ erunt. Præcipue cessare eosdem mihi persuaderem, si super re aliqua levioris præjudicii testificatio injungatur, aut si testis testimonium suum nullius futurum emolumentum probare queat, aut paulo honestius sit Reipubl. membrum. In arduis igitur rebus tentanda prius omnia lenitate, cum & judici imprimis cum benigna justitiâ judicare Nov. 18. c. 8. in f. ac aequitatem potius quam strictum jus sequi incumbat. l. 8. C. d. Judic. immo si videat, se nihil valere efficere, clericus aliquis & si è re visum fuerit, confessionarius associandus

duſ erit, qui ad revelandam in honorem Dei veritatem eundem adhortetur, ac tunc in contumacia perfeverans omnino tanquam iudicii contemtor & eluſor ſeverioribus pœnis ſubjici poterit, cum omnibus prius tentatis, potius ex vera contumacia, quam alia ratione aliqua veritatem voluiſſe reticere videatur.

XXVI. Valde autem inter Jctos diſceptari quis nesciat, an contumax teſtis iſtis quoq; tormen-  
tis ſubjici poſſit? *MART. ad Ord. Proc. t. 22 n. 74. cum habet.*  
*In teſte reni-  
tente etiam  
tortura lo-  
cum habet.*  
*non videtur*  
ſeq. & alii indeciſam reliquerunt nobilem hanc quaſtionem. Interim non erit negandum, ſi præcipue cauſæ gravitas accedat, hoc remedium, etiam ſi fallax ſæpenumero & periculoſum exiſtat. *l. r. §. 23. l. 7. 8. D. d. quaſt. iudicem juſte adhibere poſſe. Conf. Magnif. Dn. MENCKE in D. p. 332. ANT. FAB. in C. l. 4. t. 15. d. 37. ma-  
ximopere locum ſortietur in manifeſtando crimine læſæ Majeſtatis, in proditiionibus patriæ, veneficii, homicidii aliſque atrociffimis delictis, præſertim cum Reſpublica in iis puniendis commodum inſigne ſentiat, modo quoque talia proſtent contra teſtis perſonam indicia, quæ alias ad quaſtionem inſtituendam habilia exiſtiman-  
tur, verbi gratia, ſi per unum teſtem omni ex-  
ceptione majorem, refractarium factò interfu-  
iſſe*

isse allegetur. Præprimis autem torturæ inventum valde necessarium putandum, cum ad defensionem rei, qui alias vita privari debuisset, testimonium injuste recusatum, conducat. Limitanda tamen hæc omnino merentur, si jam satis abundeque probata sit res, de qua quæritur, & pluribus non indigeamus testibus, tunc enim merito cessare debet tam rigidum vinculum, in primis, cum testes per se nihil perpetraverint, Republicæ nullum suboritur amplius præjudicium, & contumacia horum nihilominus, prout hoc religio & arbitrium judicis tulerit, puniri possit.

*Mores quadrundam regionum in cogendo teste recensentur.*

XXVII. Coeterum variis poenarum generibus solere affici renitentes, passim apud Juris scriptores relatum expositumque legimus. Sic testes ad triremes aliquando fuisse condemnatos docet FABER *in Cod. ad Tit. d. Test. def. 55.* atque hujus poenæ in causa BLASII PONTARLT *d. 16. Mart. 1596.* responsum adducit. Sæpe numero ad refusionem expensarum a producente erogatarum adstringuntur, ut evenit in superiori Lusatia. *O. P. p. 1. Tit. 22. §. 1. v.* **Sie haben dann die, &c.** insuper ibi distinguitur, an testes sint possessionati, an non; Si prius, prima vice captis pignoribus **sie werden mit der kleinen Hülffe**



**Hülffe beleget**, altera vice ulterius emanentibus realis executio & immissio decernitur. Si vero posterius, & maxime si testes sint mercenarii, sub amissione mercedis suæ, aut alia pœna pecuniaria puniri solent. vid. *Ord. Proc. Lus. d. l. V.*  
**wie denn auch**, MARTINI *ad ord. Proc. Sax. Tit. 22.*  
 Sed evolvere velle hac in parte omnium regionum consuetudines, nimis amplum Lectorique tædiosum sine dubio existeret, hinc pauca de pœnis imponendis testimonium recusantibus in præsentia dixisse sufficiat.

XXIIX. Sæpissime e contrario accidere sole re nemo inficias ibit, testes quidem paratos esse ad dicendum testimonium, juramentum vero testimonium præcedens jurare se (qualis que-  
 rela, quod summe mirandum, in Clericis frequens & ipsis quasi communis existit) haud debere autumant, sed magnopere, qui ita sentiunt, errant. Cum enim substantia depositionis in juramento consistat, adeo, ut nullius testimonio, quantumcunque religiosus existat (nisi jurato deposuerit) in alterius præjudicium credi debeat, & juramentum per se malum non dicendum, vid. *Ex. 22. v. 11.* sed veritatis sit confirmatio, cum Deo teste aliquid asseritur. LANCELL. *J. J. Can. L. 3, Tit. 14. §. quod si* insuper Scriptura  
 E sacra

*Testes etiam  
 adstringun-  
 tur ad jura-  
 mentum,  
 quod testimo-  
 nium præce-  
 dit.*

facta in rebus licitis jusjurandum admittat, cum  
 in primis Paulo juramentum πάσης αντιλογίας  
 πέρας εις βεβαίωσιν *Hebr. 6. v. 16.* dicatur, non  
 amplius dubitandum, quin ad hoc juramentum  
 iisdem poenis, quarum mentio gradatim, facta  
 fuit, compellendus sit. Juramento enim prius  
 non praestito idem est, ac si nunquam quicquam  
 a teste probatum sit, etiam si ad singulos articu-  
 los distincte respondisset; hinc & ii optime fen-  
 tire mihi videntur, qui nec statuto juramentum  
 testium tolli posse existimant. *TREUTLER. Dissp.  
 V. d. Fid. Instrum. & Test. qu. 32.*

*Nec Clerici a  
 juramento li-  
 berantur.*

XXIX. Hinc improbum admittunt cona-  
 tum Clerici quidam, cum sub fide pastorali *bey  
 ihren Priesterlichen Gewissen* se posse testi-  
 ficari existimant, immo aliquando anxie nimis  
 recusando hac ratione jusjurandum, veritatem  
 supprimunt, causasque per ejusmodi moram  
 protrahunt, ac si ipsis gravis illata fuerit injuria,  
 cujus rei non pauca in foris deprehendas exem-  
 pla. Nam cum se homines esse sine mora pro-  
 fiteantur, insimul nobis facillime concedent, se  
 omnis generis affectibus expositos esse, nec o-  
 mnes ordinis sui, qui in sacris meditationibus  
 occupatur, & labe, quo ad conditio humana pati-  
 tur, purus esse debet, recte memores inveniri.

Fluit

Fluit exinde per se, quousque eorum testimonio injurato credi debeat. Mandata pœnalia hunc passum concernentia occurrunt apud CARPZ. *Jurispr. Consist. D. 22. L. 3. n. 16. 17. 18. 19. 20. & n. 1.* ubi ex Colero adversus Superintendentem Schlesvicensem ita pronunciatum refert. Conf. FINCKELTH. *Obs. 95. n. 10.*

XXX. Provocant equidem nonnulli pro clericis verba facientes *ad Auth. sed judex C. d. Episcopis & Cler.* propterea, quod ibi expresse legatur: *Sacerdotes dicant ea, quæ noverint, non tamen jurent.* Verum ab Irnerio vocabula *non tamen jurent* adjecta fuisse jam diu animadversum fuit, imprimis cum verborum recensitorum nulla in *Nov. 123. c. 7.* ex qua hæc *Auth.* desumpta, mentio occurrat. Neque ad rem facere videtur, quod in textu allegato Episcopi propositis solummodo, non vero tactis sacrosanctis Evangeliiis jurare jubeantur; Etenim quis putaret privilegium hoc, seu potius nudam cerimoniam Episcopis concessam, quicquam detrahere juramenti vi, quin vere tale appellandum sit? uti hoc pluribus declarat Jus Canonicum *c. 7. fin. X. d. juram. Calumn.*

XXXI. Urgent ulterius tenorem *l. 7. C. d. Episc. & Clerc.* de Episcopis agentem, atque eam

E 2

ob

*Respondetur ad Auth. Obs. C. d. Episc. & Cler.*

*Respondetur ad l. 7. C. d. Episc. & Clerc.*

ob hanc potissimum rationem strenue defendunt, quod in illa a dictione testimonii immunes dicantur, ergo etiam necessario a juramenti præstatione; verum eo tantum pertinere legem allegatam judicari debet, ne a iudice Laico compellantur, neuiquam vero, ut profus a testimonii dictione immunes habeantur, quod in primis vocula *debonestatur*, quam in quibusdam codicibus pro verbo *oneratur* positam reperimus, indicare videtur, de quo consulendus Dn. STRUCK *Us. mod. Tit. d. Test. §. VII.* qua mvis non multū inersit, si etiam constitutionem hanc per novissima Romanorum jura sublatam esse afferere audeas. vid. *Nov. 123. c. 7. l. 9. pr. C. d. Test.*

*Remittitur a-  
liquando ju-  
rumentum.*

XXXII. Proinde firma stat sententia, neminem, ne quidem religiosissimum, si tanquam testis aliquid probare velit, a juramento liberari; verum e contra pœnis supra memoratis pedetentim potest subijci. Aliter hinc rem se habere existimo, si pars, cuius solius præjudicium versatur, juramentum testi velit remittere, quod omnino *arg. l. pen. C. d. pactis.* admittendum nemo non facile concedet. *c. 39. X. d. test.*

*Remissio.*

MEV. *ad Jus Lubec. p. V. Tit. 7. art. 2. n. 8.* Exinde hæc remissio juramenti non concedenda videtur in causis e.g. criminalibus in primisque capitalibus & in genere, ubi de periculo animæ,  
aut

aut alio præjudicio publico agitur, quod quoque statuendum de causa, ubi de dissolvendo matrimonio disceptatur. PIRHING. *ad Tit. 7. Can. d. Test. n. 120.*

XXXIII. Judex itaque regulariter ad voluntates partium est adstrictus, & in causis, quibus remitti potest juramentum, expectandum est, donec ii, quorum interest, declarent, an id ipsum urgere, an vero de jure suo aliquid remittere velint. *conf. O. P. S. T. 20. wann es nun.* <sup>Judex an possit ex officio juramentum remittere.</sup> Nullum tamen superesse videtur dubium, judicem quoque, si moventes & justæ quidem causæ occurrant, ultro perpensis rite circumstantiis posse dispensare. Exempli causa, ac hujus paragraphi illustrandi gratia, brevissimis ex CARPZOVIO recensendo casum, quem M. Martio. 1644. contigisse refert. Ventilabatur videlicet eo tempore causa ecclesiastica & matrimonialis, ac nonnulli Clerici in testimonium vocati erant, quarebatur itaque, cum injuratum perhibuissent testimonium, an de novo ad depositionem cum jurejurando compelli deberent. Juri quidem hoc maxime fuisset consentaneum. *vid. O. P. S. §. Wenn es nun hierauff Tit. 20.* sed consideratis circumstantiis aliud placuit INCLUTO SCABINORUM LIPSIENSIS-UM COLLEGIO ad requisitionem der sãmtl. Prediger zu Lüneburg. Arrisit ipsis 1) quod jam deposuerant dicti Cleri sub illo juramento, quod Deo, Principi, Senatui, ministerio ac toti populo, officium suscipientes, præstiterant. 2) Facta erat depositio ab iis in præsentia partium haud contradicentium, quo ipso in depositionem summariam consensisse videbantur. *l. 142 ff. d. R. J.* Erant denique 3) Articuli probatoriales, ad quos depositio jurata exigebatur, prorsus impertinentes; ita, ut ex iis Substantialia sponsaliorum haud

haud probarentur, quantumvis omnes unanimiter testes affirmative ad eos respondissent. vid. CARPZ. *dec. 77. §. n. 15. prejud.*

*Mennista an possit cogi adjurandum?*

XXXIV. Accidisse aliquando mihi relatam est, Mennistam fuisse productum in testem, qui cum simpliciter juramentum peccatum esse asseverasset, eoque nomine jurare nolisset, quaesitum fuit, an nihilominus ad jurandum cogi posset? Scio varie hac de re fuisse disputatum. Eo redit nonnullorum & sanioris partis decisio, tentandum esse prius, quo conscientiae scrupulus eximatur, simulque ei demonstrandum, juramentum ex justa aliqua causa praestitum extra crimen esse, maxime, si illud non temere, sed autoritate publica, suscipiatur. Dn. STRUCK. *in lsf. mod. ad Tit. d. jurej. §. 7.* deinde, si persuasioni suae nihilominus inhæret, non adigendum esse reluctantem ejus conscientia existimant, quia grave per hoc peccatum committeretur. STRUCK *l.c.* Sed nescio, an in arduis rebus, cum primis, si de sanguine humano profundendo agatur, ejusmodi recusationi (quæ in dubio magis pro superbia quadam, contumacia & contemptu judicis habenda) locus supersit, præcipue vero, quod sub hoc prætextu quilibet fere testimonio jurato sese subtrahere audeat. Dehinc, si judex ulterius instet, talemque ex sacratissimis Bibliis (Mennistas enim Sacrae Scripturae auctoritatem agnoscere constat) convincat & causa sit magna, nihil indulgendum, sed poenis potius consuetis adstringendum existimo, potissimum, si alia in promptu non habeatur probatio; rationes tamen allatae ad dubitandi non decidendi causas pertinent. conf. Dn. RIVIN. *ad O. P. S. t. 18. cm. 134.*

XXXV.

XXXV. Plurimi e contrario jurandum esse quidem haud negant, sed ordinarii jurisjurandi loco aliud substitui posse existimant, in quo errore plerumque versantur Anabaptistæ, satisfecisse suo se officio existimantes, si juxta ipsorum consuetam formulam: **Ven Mannen und Wahrheit** juraverint, quandoquidem nec magistratu jubente aliter se jurare debere sibi persuasum habent. Enim vero nihil obstare existimandum erit, quo minus (cum in primis juramentum in testimonio necessarium esse largiantur) ad jusjurandum ordinarium adigant, sicuti quoque non obstante sententia Senatus Hamburgensis ita fuisse a COLLEGIO JCTOR. FRANCOF. pronunciatum refert Dn. STRICK **daß er schweren solle zu Gott auf sein. H. Evang. vid. us. mod. ad Tit. d. jurejur. §. 8.** Agnoscit enim Anabaptista verum id esse juramentum, quod ab eo exigitur, & hinc ad aliam jurandi formam provocatio nulla concedenda videtur. Neque obstat, quod Gentili communiter pro suo modulo ritumque suo jurare liceat, ergo & Anabaptistis. Longe autem diversa esse rationem quis non persentiscit? Gentiles enim ne quidem DEUM recte, multo minus Christum pro vero DEO agnoscunt, hinc ad juramentum eadem ratione, ut Christiani jurare solent, sine manifestissima profanatione adigi nequeunt, alia ratio in Anabaptista, cui jurisjurandi Effectus optime perspectus est.

XXXVI. Oretenus præterea nonnulli testimonium dare recusant, ac unum idemque esse putant, si siles regulari modo per scripturam, ea, quæ vera putant, prolaturi sint. Sed ne hisce quidem illas jurisjuribus hæc licentia concedenda, ea enim testes præsentis requirunt. *c. 15. c. B. gv. 9. jünge c. 3. c. 5. gv. 2.* nec absque ratione, quoniam

*Maxime vero Anabaptista.*

*Coguntur teter Oretenus reflect.*

quoniam ex scriptura præmeditatum sermonem concipi sæpenumero videas. *c. cum causa X. d. Test.* accedit, maximi interesse, ut ex vultu, trepidatione, modoque loquendi ac deponendi iudex cognoscat, quanta fides testibus adhibenda, *Conf. l. 10. §. 5. D. d. Quæst.* quod sane fieri non posset, si mediante scriptura ad testimonium accederent, in qua sæpe aliqua exprimi solent, quæ ore vix ac ne vix quidem expõsita essent. RUTG. RULAND *de Commissar. Part. 2. L. 2. c. 15. n. 3.* Alia est ratio, si in loco aliquo peculiaris fortean introducta consuetudo, uti de nobilibus hocce privilegio gaudentibus in Bohemia, Austria & Bavaria testatur GAIL. *l. 1. Obs. 100.* loco enim memorato sub eorum manu & sigillis *unter ihren Handschriften und Pestschafften* in obsignata charta testimonia dici licitum existimat GAIL. *l. c. Obs. 101. n. 14.* Ultero admittenda posthæc erunt in scriptis testimonia muti & surdi, quum necessitas non habeat legem.

*Conclusio.*

XXXVII. Ulterius progredi velle, & temporis & chartæ hujus angustia inhibet, potissimum quod dici amplius nihil posse existimem, quod non dictum sit prius, & ab aliis jam plenissime excussum. Potius Deo optimo pro viribus concessis hujus conatus finiendi perpetuas refero gratias, meque lectori admodum honorando de meliori nota ea, qua decet, observantia, commendo.

T E Λ O Σ











99 A 6925


ULB Halle 3  
002 546 892




80

VD 17  
VD 18







B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

25

JURIDICAS INAUGURALES  
 DE  
 MODIS TESTEM  
 NTEM LEGITIME  
 MPELLENDI,  
 EX  
 ECRET O  
 JCTORUM ORDINIS,  
 PRO  
 DOCTORALI RITE  
 PESSEND O  
 EMBR. ANNO M DCC XI.  
 DEFENDENDAS SUSCIPIET  
 S GOTTLIEB HILLIGER,  
 DRES D.  
 LI P S I Æ,  
 S JOH. SAM. FLEISCHER,

